

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthviani, Natione Bavari,
Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro Ecclesiæ Catholicæ reformatione, & errantium reuocatione ad viam
veritatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

ROgo te ô clementissime Iesu per sanctam incarnationem, passionem & mortem tuam, & per omnia quæ ab initio usq; ad finem vitæ sustinuisti, miserere parentum, fratribus, sororum, amicorum benefactorumq; meorum: & eorum omnium qui mihi occasio aut subsidio fuerunt ad hunc statum perueniendi. Et dignare in nobis corrigere, quæ tibi displicent, largiriq; quæ tibi placent, vt nūc gratia tua digni reddamur, & posthac tecum sine fine lætemur, Amen.

Pro afflictorum, desolatorumq; subleuamine, Precatio.

ROgo te ô dulcedo cordium & tribulitorum summum refugium Christe Iesu, vt per merita omnium axietatum & angustiarum piissimi cordis tui, omnibus afflictis, tentatis ac desolatis subuenire digneris, eosq; ab omnibus malis atq; periculis tam corporis, quam animæ eripere, gratiamq; tuam in ipsorum cordibus augere, ac ad æternæ fœlicitatis brauium perducere, Amen.

Pro Ecclesia Catholicæ reformatione & errantium animarum revocatione ad viam veritatis, Precatio.

O Pastor bone & fidelis Christe Iesu, ques tuas ferocissimorum luporum dentibus raptas ad ouile tuum sanctam reduc Ecclesiam, & renoua eos spiritu dulcedinis tuz, ac omnium errorum totiusq; præsidia & infidelitatis caliginem ab eorum cordis oculis deterge, quo vocem tuam agnoscant, tch in vera humilitate & ardentissima charitate sequantur.

Reforma quoque pristinæ charitatis & innocentiaz feruore Ecclesiam tuā sanctam, quam proprio sanguine redemisti, ac de diabolica captiuitate liberasti: maximè autem Ecclesiasticos Ordines, ouiumq; tuarum pastores & prælatos, vt oues tuas viam veritatis edoceant, quæq; ore docent, opere ipfi implere satagant. Tu enim pie Domine oculis tuis ipse cernis, ad quantam omnes nos miseriam, & calamitatem dilapsi sumus, sed non absq; nostro demerito. Non enim iniustus es qui infers Tram. Tibi Domine peccauimus. Te Patres nostri ad iracundiam concitauerunt, neq; nos à via eorum recessimus, vt te ex toto perquireremus corde. Ideo satis iuste inuenierunt nos hæc omnia quæ patimur. Sed spero quod tandem misericordissimis tuæ pietatis oculis super nos respicies, qui non in finem irasci soles, sed iuxta Prophetā tuum, Cum iratus fueris, misericordia recordaberis. Hac spe fretus, pro tua desolata Ecclæsia, cuius & ego membrorum minimus sum, tibi supplico, te oro & obsecro, omnizq; pietatis tuæ viscera precibus meis pulso, vt omnibus nobis, præcipue in necessitatibus & periculis varijs constitutis iuxta solitam tuam benignitatem succuras, eosq; protegas & gratia tua sine qua nihil sumus, munias & defendas, Amen.

Effusio cordis pro suis suis, sibi commissorum, cunctorumq; Christianorum conuersione & correctionis vita prosequitione.

OMNI dilectissime Domine Iesu Christe, obsecro te, vt amabilis & infinita bonitas tua, omnia peccata mea propria dignetur remittere, & per amarissimam passionem tuam delere, consumereq; in immenso amoris tui incendio: & memiserum in gratiam & unionem tecum adeò intrahere & confortare per amorem, vt exiens ad proximos meos, omnium hominum, & maximè mihi commissorum peccata in me suscipere, & continue deplangere & expiare valeam: vt tu in me, & ego in te manens, simul impleamus opus fraternalis charitatis. O misericordissime Domine, tuum ad amnes homines amorem

Abacuc. 8
h 2 extendo

